DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE INTERMITTENTE
TERTIANA.

12

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE TERTIANA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MACLENAN,

SCOTO-BRITANNUS,

SOC. REG. MED. EDIN.

NEC NON

SOC. PHYS. AMERIC. SOC. EXTRAORD.

"—— *Here the Tertian ſhakes his chilling wings.*"

THOMSON.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31966226_0002

Viro Præſtantiſſimo,

THOMATI REID Juniori, Armigero,

de BELVIDERA,

in Inſula Jamaica;

Omnibus, quæ

Amorem, caritatem, laudemque conciliant,

Virum et Amicum ornant,

Prædito;

multa ob beneficia

in ſe ſuoſque collata;

Hocce Opuſculum Inaugurale,

ut parvulum grati quidem animi Monumentum,

Summa Obſervantia,

D. D. Cque

JACOBUS MACLENAN.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

MULTIFORMES adeo ſunt febres Intermittentes, ut quàm variè appareant, numerari vix poſſimus. Cùm ita ſit, ne nimis longi ſimus, de *Tertiana* tantummodo diſputare in animo eſt.

DE TYPORUM VARIETATIBUS.

Tertiana *Simplex* nominatur, cùm ſimiles ſunt acceſſiones; cùm, æqualibus interjectis

 integritatibus,

integritatibus, hæ redeunt; cùm notæ, quibus ſingula acceſſionum ſtadia inſigniantur, duratione et gradu ſimiles ſunt; cùm uno quoque circuitu una tantummodo acceſſio eſt, integritas una; et, denique, cùm non ampliùs duodecim horis perſtat acceſſio. Cùm ultra horas duodecim protrahitur acceſſio, febris Tertiana *Spuria* appellatur.

Tertiana *Duplex* vocatur febris, cùm quotidie ita intendatur et remittat, ut, alternis diebus, acerbiores ſint acceſſiones, alternis mitiores. Quoties hoc accidat, duæ febres adeſſe apparent, quarum una lenioribus acceſſionibus inſignitur, altera verò gravioribus; ita profectò, ut, alterno tertio quoque die, acceſſiones, mitioribus deinceps mitiores, gravioribus itidem graviores reſpondeant. Quocirca, febris, quæ *Quotidiana* videtur, ex duplici componitur tertiana.

Graviores acceſſiones diebus plerumque imparibus, circa meridiem, redeunt; paribus, contrà, veſpertino tempore, mitiores: licèt interdum

terdum illæ paribus etiam diebus revertantur. Quinetiam graviores acceſſiones plerumque ſubſequitur integritas, leviores tantummodo remiſſio. Hæ præterea haud rarò morantur, dum illæ appropinquent *. Graviores denique antegreditur nox, quàm quæ ſubſequitur, inquietior.

Tertianæ *Triplices* interdum, ſed profectò rariſſimè, occurrunt. Ita nominantur febres, cùm biduo tres acceſſiones ſunt, totidemque intervalla. Hujuſmodi febres, quarum exempla obſervârunt Galenus et Riverianus, ſed quæ profectò perraro accidunt, *Semitertianas* Hoffmanus appellavit. Quò autem ab aliis internoſcantur febribus, quæ ſemitertianæ rectiùs appellantur, Tertianas Triplices nominare meliùs rati ſumus.

Hujus generis febris meridiano tempore incipit, et, veſpere ejuſdem diei appropinquante,

* Vid. Cleghorn on the Diſeaſes of Minorca, p. 144.

quante, remittit. Poſtero die pomeridiano integraſcit iterum; et paulatim ad veſperam diei uſque tertii increſcit, ex quo tempore paullatim ſupervenit integritas. Quarto die manè incipit aliud intervallum ei ſimile, quod ſecundo die manè inceperat; ſed, poſt meridiem, acceſſio alia longa antecedenti ſimilis advenit; et, alterno quoque die revertens, ex quadraginta octo horis relinquit decem tantummodo aut duodecim, quibus integritas ſit. Hæc febris, ut a Celso et Agatheno appellata eſt, Semitertiana revera appellari debet. Eſt autem obſervandum, varia his febribus nomina a variis auctoribus indita eſſe. Verùm profectò minùs intereſt, quo nomine appellentur, quàm ut accuratè a ſe invicem internoſcantur, atque ea curentur ratione, unaquæque ſua, quæ maximè conveniat.

Hæc ſunt febrium tertianarum diſcrimina, quæ periodorum typo propria ſunt. In nonnullis autem hujuſmodi, periodus unaquæque, citra quadraginta octo horas, præciditur; aliis

paulò

paulò ultra producitur. Illæ Tertianæ *Anticipantes* nominantur, hæ *Poſtponentes*. Cleghornio auctore, in tertianis duplicibus acceſſio gravior ſæpe paulò citiùs advenit; dum mitior equali circuitu redit, vel fortaſſe paulò in dies longiore, donec tandem graviorem ei ſupervenientem vix effugiat *.

Contra ea, in tertianis præcipuè, ut Jacsoni, Jamaicensi, videtur, duplicibus, acceſſio matutina haud rarò, ex toto, differtur.

Auctoribus tam præclaris, inter ſe diverſa affirmantibus, uter veriora dixerit, dijudicare in primis arduum eſt. Forſitan autem, id quod profectò fieri poteſt, dum neuter ulla, præter ea ſigna, enarravit, quæ ei, in regione qua medicinam factitabat, obſervandi oblata eſt occaſio, utrique vera dixerunt.

Febrium typi cœlo variari videntur; neque fortaſſe in diverſis duabus quibuſlibet regionibus, duobuſve quibuſvis ejuſdem locis, prorſus ſimiles ſunt. Res porrò caſu accidant, quæ

* Vid. Cleghorn, p. 144.

quæ, ut præfeſtinetur acceſſio vel pauliſper moretur, efficiant. Verùm enimvero cauſam, cùm alterutrum accidat, eſſe ſpecialem quandam morbi indolem, veriſimile videtur; cùm præſertim febris, quæ ſemel acceſſionem præfeſtinaverit, ita plerumque per magnam curſûs partem præfeſtinare perſtet.

Quod ad periodorum typos et diuturnitatem attinet, hæc dixiſſe ſufficiat.

DEFINITIO.

"Febres miaſmate paludum ortæ, paroxyſ-
"mis pluribus, apyrexia, ſaltem remiſſione
"evidente interpoſita, cum exacerbatione no-
"tabili, et plerumque cum horrore redeun-
"tibus, conſtantes: paroxyſmo quovis die unico
"tantùm.

"Paroxyſmi ſimiles intervallo quadraginta
"octo circiter horarum: acceſſionibus meridi-
"anis *."

HIS-

* Vid. Culleni Synopſ. Noſolog. Method. ſect. 1, gen. 1.

HISTORIA MORBI.

Febris intermittentis, quæ vera eſt et notis hujus generis propriis inſignita, acceſſio in tria ſtadia dividitur. Quo modo ſingula incipiant, et quænam, ſingulis deinceps progredientibus, ſigna appareant, inclinat animus, ut perpauca dicam.

Æger primò langueſcit, laſſeſcit, et debilitatur. Eodem tempore frigeſcunt extrema; oris lineamenta contrahuntur; et omnes partes externæ minuuntur mole. Æger deinde modò extremis partibus, modò humeris et dorſo frigeſcit, eodem ferè modo, ac ſi rivuli aquæ frigidæ ei affunderentur; artubus omnibus tremiſcit; truncus ei corporis rigoribus concutitur; dentiuntque dentes.

Verùm obſervandum tamen eſt, ægri calorem, cùm de frigore conqueritur, non modò non, *thermometro* ſaltem æſtimante, quàm

naturaliter

naturaliter oportet, minorem eſſe, ſed ſolitò majorem.

Hoc tempore arteriæ exiliter, celeriter, et inæqualiter micant; et anima debiliùs, frequentiùs, et majore cum anxietate reciprocatur.

Ineunte febre, mens ſæpe ſolitò languidiùs percipit; progrediente autem, ſolitò acriùs. Per totam acceſſionem ſitis haud modica urget; et urina, ad quam animum, per totum febris curſum, advertere medicum oportet, eſt, horrore præſente, tenuis, limpida, et ſaporis expers.

Inhorreſcente ægro, partes priùs tumefactæ, ſubitò multùm detumeſcunt; ſed, incaleſcente, in priſtinam tumeſcunt molem. Vomitio materiæ, quæ e bili, maxima ex parte, conſtat, horrorem finit, et calorem inducit.

Horror vi et diuturnitate minimè ſemper idem eſt. Modò levis eſt, modò paulò gravior, modò gravis admodum. Præ. febrientis profectò ætate, et temperamento varia-

tur. Graviùs enim inhorreſcunt ætate provectiores, iique quibus eſt prava corporis habitudo, quàm juniores et firmiores. Interdum per unam tantummodo horam aut duas intremiſcit æger; interdum, per tres aut quatuor; et interdum, licèt rariùs, per quinque.

Minimè autem verum eſt, ut opinantur nonnulli, quo graviùs diutiuſque inhorreat æger, eo graviùs quoque et diutius exæſtuare; cùm præſertim notatæ ſint febres intermittentes, in quibus, præ horroris prægredientis vi et diùturnitate, calor erat lenis. Quinetiam interdum non a horrore incipiunt; ſed a calore, qui, cùm vis morbi maximè intenditur, graviſſimus eſt. Ad hoc, Cleghornius * certiores nos facit, graviſſimas, quas ipſe viderit, acceſſiones, horrore nullo antegrediente, acceſſiſſe.

Poſtquam aliquandiu inhorruerit æger, horror paulatim remittit. Primò, inter frigus et calorem, utrùm illud hunc, vel hic illud, fu-

B get,

* Vid. Cleghorn, p. 168.

get, alternis vicibus, victoriâ neutrò inclinatâ, certatur. Tandem calor evadit ſuperior; frigus prorſus fugat; et, hoc fugato, naturali compluribus gradibus fit major.

Cùm calor ægro potitus ſit, totum corpus, præcipuè facies, rubeſcit; venæ plenæ fiunt et ſe attollunt; laxatur et lævatur cutis, ſed aliquandiu arida manet; lineamenta oris explicantur; et aliæ partes corporis naturalem magnitudinem, imo majorem, redipiſcuntur.

Arteriæ validè, plenè, interdum frequenter et durè, micant; anima pleniùs, liberiùs et minùs anxiè reciprocatur; caput dolet et præcipuè artus, ſi graviter inhorruerit æger; urina rubra eſt, et nihil ſedimenti habet.

Tandem, inſudante primùm fronte, deinde univerſo corpore, acceſſio finitur; et ſigna omnia remittunt. Spiritus rarior eſt, liberior, et cum minore anxietate. Sudore primùm manante, arteriarum pulſus fiunt minùs duri, et frequentes; ſed pleniores, et paulatim ferè naturales.

turales. Poſtquam ſudor aliquandiu manaverit, urina fit craſſa turbidaque, et ſedimentum lateritium deponit.

Hæc ſunt uſitatiſſima ſigna, quæ febris intermittentis acceſſionem conſtituunt; et ordine plerumque, quo enumeravimus, deinceps, alii aliud, ſuccedunt.

Verùm enimvero obſervandum eſt, ſigna alia, ac quæ memorata habuimus, et alio quidem ordine, ſemet haud rarò oſtendere. Cleghornius, auctor præclarus, qui hiſtoriam febrium, quæ circuitu redeunt, accuratiùs deſcripſit, quàm auctores, qui, ante eum poſtve, de his diſputârunt, acceſſiones febris intermittentis non ab horrore incipientes obſervavit. Acceſſiones interdum non ab horrore* incipere, teſtantur quoque Gregorius primus, Edinburgenus, et Jacson†, Jamaicensis.

Quinetiam conſpicatus eſt Cleghornius, acceſſionem febris abſque ſudore intermittere.

Huc

* Vid. Cleghorn, p. 145.

† Vid. Jacson *on Fevers*, p. 290.

Huc accedat, quòd in valetudinario EDINBURGENO, proxima eunte hieme, occurrit intermittens, quam tractabat DUNCANUS, febris, cujus acceſſiones, ut ipſe ego vidi, haud raò abſque ſudore finitæ ſunt. SCHENCIUS *, denique, memoratam habet tertianam, cujus unaquæque acceſſio incipiebat a calore; quem excipiebant rigor, et, de integro, calor.

Verùm enimvero hæc eſt hiſtoria mitis tantummodo et regularis vernæ tertianæ, quæ in regionibus temperatioribus apparet. Variis cauſis adeo mutatur tertianæ facies, ut omnia lineamenta, quibus inſigniatur, generali deſcriptione comprehendere imprimis arduum ſit. Quantùm ad eam variandam polleant cœlum et anni tempeſtas, ſatis conſpicuum eſt. Inter enim vernales intermittentes, et autumnales; atque, tempeſtate anni eadem, inter eas calidarum regionum et temperatiorum, multum utique intereſt.

Perpauci

* Vid. SCHENC. lib. VI. p. 816.

† Vid. SYDENHAM. p. 82.

Perpauci ſunt morbi, qui minùs requirunt auxilium a medicina, quàm vernæ hujus regionis febres. Adeo non periculoſæ ſunt, ut ſalutares quidem habeantur; et corpora adeo non debilitant, ut iis aliquid ad inflammationem proclivitatis ineſſe exiſtimetur.

Intermittentes verò autumnales longè aliter ſe habent. Sibi enim aſſumunt ſigna nonnullorum morborum, qui maximum periculum ſecum afferunt. Sibi adeo conſociatos capitis, dorſi, pectoris, ventris, et artuum dolores habent; ut *pneumoniam, hepatitidem, lumbaginem,* rheumatiſmum, præcipuè ſi, acceſſionibus finitis, non ſuccedat integritas, ſed etiamnum remaneant quædam febris reliquiæ, perquam ſimulent. Interdum inteſtina eodem, ac in dyſenteria et cholera, modo afficiuntur: ventriculus dolet admodum: dolent quoque viſcera, et quaſi extorrentur; ita ut inquietatus admodum febricitans, corpus pauca momenta eodem modo poſitum tolerare nequeat. Gelidus ſudor, vel frigus quod neque calor ſubſequitur

quitur neque ſudor, mortem febrientis prænunciat. Signum autem, quod mortem ſæpiſſime auguratur, eſt impetus *apoplexiæ* cùm inhorret æger. Interdum, ſignis lethargicis prægredientibus, ſed ſæpe, his non comitantibus, acceſſio tertia, ægri vitam terminat. Poſt *apoplexiam*, quam ſenſuum vacatio, ſuperſtite ſimul cordis arteriarumque motu, et ægro dum animam reciprocat ſtertente, inſignivit, tertia interdum acceſſio ægro mortem affert. Eſt aliud quoque, quod hanc rei noſtræ partem perplexiorem reddit, mutabilitas nempe ipſius morbi. Hæc enim, in primis circa æquinoctium autumnale, tanta eſt, ut febris ſibi aliam atque aliam formam aſſumat, et raró eandem ab initio retineat; ſingulis interdum acceſſionibus ſigna ſibi propria præ ſe ferentibus.

Hoc modo hæ febres, Protei inſtar, mutabiles, unoquoque circuitu formam novam induunt; et acceſſionibus longioribus, gravioribus, frequentioribuſve notantur, donec ad ſummam

ſummam ſævitiam increſcant. Huc cùm proceſſerint, adeo confuſæ ſunt acceſſiones et intervalla, ut, utrùm hæc adſint illæve, dijudicari profectò vix poſſit, dum, *remittentes* priùs factæ, in *continuas* degenerent. Quoties talis tranſmutatio accidit, febres, niſi morte finiantur, veſtigia in intermittentes priùs remetiuntur, quàm in ſanitatem deſinunt.

DIAGNOSIS.

In hac parte rei noſtræ tractanda, priùs animadvertendum eſt, quomodo febres intermittentes aliis febribus dignoſcantur; deinde quomodo internoſcantur diverſæ ſpecies intermittentium ipſarum.

Utrumque cognoſci poteſt, vel ex prima acceſſione febris, vel ex modo quo æger ſe habeat poſt acceſſionem. Ex hoc autem meliùs: ſi enim poſt primam acceſſionem ſubſequatur integritas, et febris longiore circuitu brevioreve

iterum

iterum accedat, dubitari non poteſt, quin hæc ſit intermittens.

Ad quam intermittentium ſpeciem pertineat febris, cognoſci profectò id poteſt ex longinquitate circuitûs; temporis, nempe, quod initium unius acceſſionis et initium ſequentis interfluit.

Siquando febris ſit complicata; vel, quod rarò, præcipuè initio, accidit, acceſſione ſolitò diutius productâ, continua fiat; tum, ad quod febrium genus, vel quamnam ejuſdem generis ſpeciem rectiùs pertineat, dijudicare in primis difficile ſit. Quoties alterutrum accidat, animadvertendum eſt medico, quali naturâ polleat febris graſſans; atque utrùm acceſſiones certo circuitu, necne, redeant; ullave his inter ſe ſimilitudo intercedat. Quinetiam ad eas quoque res, quæ, invadente morbo, in primis inhorrente ægro, ſemet manifeſtant, animum advertere medicos oportet. Urinæ demum habenda eſt ratio; utrùm in ea ſubſidat, necne, materia lateritia: acceſſione

enim

enim finita, urina plerumquè, licèt non ſemper, hujuſmodi ſedimentum deponit.

His memoratis, nunc nobis animadvertendum eſt, diſſimilitudinem cauſarum et ſignorum quorundam eſſe, unde, utrùm febris periodica ſit, an continua aut diurna, primo ferè impetu ſciri poteſt.

Quod ad cauſas attinet, unde enaſcantur, febres intermittentes et diurnæ multùm inter ſe utique diſtant. Hæ enim, ſecus ac illæ, plerumque oriuntur ex cauſis levioribus et manifeſtis, quodam potiſſimùm vitio, *ſex non naturalium.*

Utra harum febrium adſit, habita ſignorum ratione diſcerni poteſt. Si, inter acceſſionem, frigus horrorve, calor, et ſudor deinceps ſupervenerint, febris pro intermittente habenda eſt; ſin minùs, pro continua.

Finita diurnæ febris acceſſione, arteriæ ferè micant, ut, valetudine integra, ſolent: ſed per integritatem intermittentis, non ita; moventur enim debiliùs, inæqualiter magis, et

plerumque celeriùs, quàm ſolent, incolumitate ſubſtante; et, quanquam interea æger ſemet alioquin haud malè habere videatur, tamen, ſecus ac in febre diurna accidit, laſſitudine, capitis artuumque dolore etiamnum afficitur.

Sunt quoque ſigna, per quæ intermittens, etiamnum incipiens, a continua, quæ aliquandiu perſtiterit, ſatis accuratè internoſcatur. Signa intermittentis, quæ in continuam degeneravit, graviora ſunt, numero plura, et citiùs ingraveſcunt. Acceſſione accedente, æger multò magis horret diutiuſque, quàm in febre continua; niſi hæc ſit admodum maligna. Præterea tertianæ et quartanæ acceſſiones a rigoribus incipiunt; id profectò quod iis ferè ſolis proprium eſt. Galenus de hac re dicens, hæc habet verba: "Quæ (febres) cùm "rigore invadunt, non abs re ex earum nu"mero eſſe indicabis, quæ per circuitum in"feſtant." Hunc rigorem comitantur anxietas magna, et ſpiritus difficilis; et alia quidem

dem ſigna, dum intenditur frigus, ingraveſcunt. Calor, qui his ſignis tandem ſupervenit, multò citiùs increſcit; et, intolerando capitis dolore ægrum ſimul cruciante, multò, quàm in febre continua, major eſt.

Sudor, qui frigori ſuccedit, neu tam copioſè fluit, neve tamdiu, ac in febribus continuis. His omnibus itaque cognitis, intermittens etiamnum incipiens plerumque, quamvis non ſemper, continuâ dignoſcatur.

PROGNOSIS.

Utcunque mites leveſque initio ſint intermittentes, non inde qualis futurus ſit earum eventus, temerè augurandum eſt; ſed expectandum potius, donec ter quaterve circuitum finiverint. Tunc quidem bonum præcinendum eſt, ſi acceſſiones non ultra duodecim horas producantur; ſi, tepido ſudore manante, inclinent, et integrum tempus intermedium

relinquant;

relinquant; ſi æger, viribus nondum fractis, morbum bene ſuſtineat, et cibos appetere incipiat; ſi urina naturalem colorem receperit, vel nubila ſit aut turbida, et aliquid albidi pallidive ſubſidens habeat; potiſſimùm ſi hæc omnia, tertio quartove circuitu finito, eveniant.

In periculo, contrà, verſatur, cùm, eo circiter tempore, acceſſiones diu protrahantur, vel magna anxietate ſtipentur: cùm *coma* grave ſit; delirium pertinax; dolores acuti circa ſuperius ventriculi os, vel lumbos: cùm, per integritatem, æger cibum omnigenum averſetur; atque adeo debilis ſit adeoque vertigine afficiatur, ut propriis pedibus vix, et ne vix quidem, ambulare poſſit: cùm hypochondria et *epigaſtrium* tumeant, rigeant, et, aliquo contrectante, admodum doleant: et, demum, cùm æger quoquomodo plùs exinaniatur, quàm vires ſufferre poſſint.

Mortis periculum ſubeſt, ubi admodum flaveſcit cutis, vel hic illic liveſcit, aut materiâ

ſubtus

ſubtus effusâ deturpatur; ubi urina ſubfuſca eſt, et tetrum odorem edit; ubi, per acceſſiones, æger alget, neque, poſt algorem, caleſcit; ubi exæſtuat, et loquelæ expers fit, et ſuæ mentis non eſt; ubi frequenter ſuſpirat, gemitus edit, atque ſingultat; ubi ſupinus jacet, et facies, velut ea cadaveris, expalleſcit, ſemiapertis oculis et hiante ore; ubi alvus pertinaciter compreſſa, mirum in modum, intumet, fæceſve, ægro inſcio, defluunt. Servari vix poteſt æger, cùm hæc omnia, vel ex his plurima, adſint. Quamvis enim, acceſſione finita, interdum decedant, et lætam ægro et medico ſpem injiciant; tamen rarò accidit, quin, cùm eò proceſſum ſit violentiæ, periodo ſolita redeant, morteque finiantur.

Obſervandum autem eſt, ut in acutis morbis omnibus, ita quoque potiſſimùm in febribus his doloſis et fallacibus, utrùm expectanda ſit ſanitas, an timenda mors, certò ſignificari non poſſe. Sæpe enim ſignis levibus, et nihil

nihil mali intentantibus, ex improviſo, ſuperveniunt ſigna graviſſima et mortifera.

TERMINI.

Febres intermittentes, ſi imperitè et malè curatæ ſint, vel ſi perdiu pertrahantur, aliis morbis, lentioribus profectò, ſed interdum magis lethiferis, viam proſternunt. Hujuſmodi enim febribus vel malè curatis, vel in longum tempus productis ſuperveniunt obſtructa abdominis viſcera, ad quæ curanda parum utique valet medicina.

Ex viſceribus hepar, præ ceteris, plerumque tali modo afficitur, verùm tamen, " ſunt
" et aliæ partes, in quibus non leviores rema-
" nent morbi reliquiæ : indureſcit pancreas ;
" in molem attollitur lien ; inteſtina functio-
" nes vix ſolitas recipiunt ; languet dejectus

" appetitus ;

" appetitus; proſternuntur vires; vultus co-
" lore livido aut flaveſcente inficitur *."

" Patet unde, quàm facile ſit, ut febribus
" ſuccedat aqueus in variis partibus tumor:
" ſtatim atque remittit ipſarum vis; pedes in
" multis tibiæque œdemate laborant; fit autem
" illuvies in textu cellulari, tum propter ob-
" ſtructiones quæ ſuperſunt, tum propter vene-
" ni febrilis vim in partes infernas converſas."

Pedibus cruribuſque aquâ tumefactis interdum ſupervenit aſcites, et corporis univerſi hydrops. Quinetiam thorax interdum aquâ inundatur; et hinc efficiuntur ſpirandi difficultas, et tuſſis ſæpenumero violenta. Ad hoc, a SYDENHAMO certiores facti ſumus, phthiſin, potiſſimùm fortaſſe in proclivibus, febribus periodicis intervenire. Auctor, demum, idem eſt, *rachitidem* infantibus, hoc morbo implicitis, interdum superveniſſe. Hoc autem, niſi dum malignæ febres intermittentes † autumno graſſantur, raro profectò accidit.

Tonſillarum

* Vid. SENAC. de Febrium Natura, 120.

† Vid. SYDENHAM. p. 100, 11. 101.

Tonſillarum dolor et inflammatio, quæ, poſt febres intermittentes, interdum accidunt, quæque à glutiendi difficultate moleſtoque faucium ſenſu, voce ſimul rauca, oculis fœdis, facie HIPPOCRATICA, incipiunt, plerumque, mortem in propinquo eſſe, prænunciant.

RES QUÆ, INCISIS CADAVERIBUS, APPARENT.

Cadaveribus eorum, quos hic morbus abſtulit, inciſis, partes abdominis, quæ adipe opplentur, omentum, nimirum, et *meſenterium*, vel colore fuſcæ apparent, vel prorſus corruptæ.

Hepar interdum albidum conſpicitur, velut ſi depletum eſſet ſanguine et maceratum; interdum mole auctum, induratum, et flavis tuberculis obſitum; interdum, demum, ſanguine, eoque nigerrimo, oppletum*. Fellis veſica

* Vid. SENAC. p. 129.

ſica eſt ſanguine plena et turgida ; et ventriculus atque inteſtina liquoreblioſo oppleta.

In hac febre pancreati quoque ſua ſunt mala. In his cadaveribus, nonnullis tantummodo in partibus obſtrui videtur ; in illis ubique induratum reperitur, vel magnitudine admodum auctum *.

Splen quoque auctus conſpicitur, et interdum quatuor vel quinque libras pondere æquat. Fabricâ adeo ſolvitur, ut coactum ſanguinem veſicâ contentum inſigniter referat †.

CAUSÆ REMOTÆ.

Etiamſi, ex quo tempore medicina primùm exculta eſt, humorem humano corpori inſalubrem eſſe, obſervatum habuerint medici, tamen quantùm ad febres intermittentes concitandas polleat, Lancisius, eruditus et indefeſſus,

D

* Vid. Senac. p. 129.

† Vid. Cleghorn, p. 165.

feſſus, omnium medicorum primus accuratè expoſuit *.

Cognitis rebus, quas hic auctor in ROMÆ vicinia obſervavit; iiſque, de quibus, per literas ad eum a compluribus conſiliorum ſociis in variis EUROPÆ partibus miſſas, certior factus eſt, quaſque profectò veras eſſe teſtantur ea, quæ medici, ubique ferè terrarum orbis, obſervata habuerunt; dubitari vix poteſt, quin humiditas ſit generalis febrium cauſa, et in primis multigenas intermittentium ſpecies efficiat. Similitudo, quæ inter cœla, tempeſtates, ſolaque regionum, in quibus ingruunt febres intermittentes, intercedit; et ea, inſuper, quæ, in regionibus utcunque remotis, eſt his febribus inter ſe; hanc opinionem ſatis ſuperque confirmant.

Qualis ſit natura materiæ nocivæ, quæ ex paludibus exhalatur, parum hactenus cognitum habent medici, etiamſi ad hoc quidem explorandum

* Vid. JOS. MAR. LANCIS. de *Noxiis Paludum Effluviis*, vol. i. paſſim.

plorandum multum operæ impenderint. Gradu variare, multis etiam cauſis quadantenus mutari, et ſemet quidem cum aliis rebus conſociare, facilè intelligere poſſumus: ſed hoc tantum.

Verùm enim verò, licèt non opis ſit noſtræ penitus cognoſcere, quali naturâ polleat hæc cauſa febrium concitatrix; tamen, quid in hominum corpora efficere poſſit, aliqua ſaltem ex parte, ſcire obſervando nobis in poteſtate eſt. Satis enim nunc conſtat, corporis, quod ejus effectibus diu objicitur, vitale principium magnopere labefactare, et ſpatium vitæ, priùs profectò breve, multo breviorem reddere.

Calor ſolaris ad exhalationes ex paludibus eliciendas, et ad efficiendum ut jam elicitæ in hominum corpora agant, prorſus neceſſarius eſt. Hinc explicari poteſt, quare intermittentes æſtivæ et autumnales vulgò tam ſæviter graſſentur. Ad ea efficienda ictus ſolis multo plùs pollent, ſi ſimul ſpirent Auſtri. Conſtat

ſtat enim, paludes, quas hi non perflant, minùs hominum corporibus inſalubres eſſe *.

Vis exhalationum ex paludibus, locorum quoque naturâ nonnihil variatur. Exæſtuante ſole, ſtagnantes aquæ minùs graves ſunt iis qui excelſiora loca habitant, quorumque domus Septentrioni obverſæ, perflatum Aquilonis habent; eo quòd hìc halitus ſtagnorum non adeo copioſus eſt, et inſuper vi aliquantò leniore pollet, faciliùſque ventis diſſipatur. Stagnorum autem effluvia, teſtante Lancisio, "Peſtifera ſunt planitiem aut vallem inhabi-"tantibus, maximè verò ſi eaſdem ab Auſtrali "regione habitant paludes; quià, nimirum, "vapores illinc uberiùs elevati ſunt, minùſ-"que etiam a ſiccis ventis diſſipantur †."

Etiamſi paludum exhalationem febres intermittentes concitare, inter omnes convenerit, tamen dubitari non poteſt, quin aliæ quædam cauſæ cum ea conſpirent; cùm præſertim redivivas

* Vid. Lancis. L. L. cap. vi.

† Vid. Lancis. cap. v.

divivas remittentes utique faciant. Hujuſce-modi cauſæ appellantur

EXCITANTES SIVE OCCASIONALES.

Harum præcipua eſt Frigus calorem ſubitò excipiens. In corpus humanum graviùs agit frigus, ſi intenſum ſit, humidum, et diu admotum. Ejus quoque actioni favent omnes motus, qui animum contriſtant. Memoratam enim febrem habet Swietenus, quam timor concitavit, quæque, ſublata, eâdem causâ redivit. Similia quidem alia exempla, ſi per-opus eſſet, enarrari poſſent. Quinetiam jactura ſanguinis, et exinanitiones quidem aliæ, atque profectò cibus vel deficiens vel parum nutriens, quippe cùm cordis arteriarumque renixum inſigniter minuant, frigus malorum efficacius reddunt. Aliquis demum injuriis a frigore opportunior eſt, ſi frequens nimis Bacchi aut Veneris fuerit cultor.

Verùm

Verùm enimvero, utrùm aliqua ex his cauſis, per ſe, febrem intermittentem concitet, an conſociatæ tantummodo cum exhalatione paludum ad eam concitandam conſpirent, ſtatuere in primis arduum eſt; eoque magis quòd ſigna a paludum exhalatione ordinatim deduci non poſſunt. Has cauſas, per ſe, hujuſmodi febrem efficere, poteſt quidem animo concipi; ſed magis inclinat animus ut credam, paludum tantummodo halitûs actionem augere. Febres intermittentes in paludoſis regionibus vulgò graſſantur; ſed evaneſcunt, ſimul atque ſtagnantes ibi aquæ aliorſum derivatæ ſint. Præterea, quotquot eunt dies, ſummam debilitatem, quæ intermittentem tamen febrem non concitat, obſervandi occaſio nobis offertur.

Cauſis, non modò quæ homines in febres intermittentes proclives reddant, ſed quæ eaſdem concitent, expoſitis; utinam ſanè explicare poſſemus, quæ ſit

CAUSA

CAUSA PROXIMA,

vel, quod profectò idem eſt, quo modo cauſæ remotiores principium vitale ita afficiant, ut febres remittentes ſeu intermittentes notis ſuprà comprehenſis inſignitas concitent. Verùm enimverò, quippe cùm, ad hoc efficiendum, actionem partium ſcire opus eſſet quæ obtemperent muſculorum legibus, quas exploratè cognitas nondum habeamus; ſatis conſtabit, quàm difficile ſit explanatu, quid ſit intermittentium febrium cauſa *proxima.* Hac difficultate moti, rem naturâ adeo abditam explanare non aggredi malumus, quàm inepta dicere.

Verùm operæ tamen ſit pretium, pauca dicere de quibuſdam ex opinionibus numero ferè pluribus, quæ, hac de re, in apertum temerè prolatæ ſunt, quibuſque medici haud minùs temerè et obſequenter aſſenſerunt; et, hoc

factò,

facto, quænam opinio videatur nobis veriſimillima, quàm pauciſſimis dicere.

Multæ profectò de cauſa febrium proxima opiniones, in ſcholis medicinæ, deinceps, invaluerunt: quarum plurimas nunc obruit et delevit oblivio; et quidem meritò, cùm ſigna minimè explicarent.

Ex his opinionibus prima ea eſt, quam perſtrinxit Hippocrates; febres, nempe, eſſe in calore nimio ponendas. Hanc opinionem enixè defendit Galenus; qui affirmat, calorem in aliqua corporis parte quocunque modo concitatum, et inde cordi, hujuſque interventu, aliis partibus impertitum, febrem conſtituere: poſtea autem explicatiùs addit, calorem non febrem concitare, niſi cordi impertiatur.

Opinio Galleni, mutatis tantummodo perpaucis, in ſcholis medicinæ, ad initium ſeculi decimi ſexti uſque, invalebat. Tum verò Paracelsus, rem medicinalem, magno ex parte, novavit. Verùm, etiamſi ejus auctoritate adducti, medici novas opiniones multas ad prin-

cipia

cipia, quæ is inſtituere conatus eſt, accommodatas protulerint; tamen harum nulla eſt, quin non modò a vero, ſed veriſimilitudine quoque, ex toto, abhorreat, et hallucinantibus medicis, quàm ratiocinantibus, multò meliùs conveniat. Quis enim nunc mente ſanus, aut ſulphur fœtidum, aut nitrum, aut hydrargyrum ſolutum in jecinoris regione, cauſam febris proximam eſſe, credere poteſt?

Helmontius proximus ſequitur ordine auctorum, qui, de cauſa febrium proxima, aliquid novi excogitârunt. Attribuit hic auctor febres cuidam corruptæ acrique, licèt inenarrabili profectò, materiæ, qua corpus afficiente irritatur *Archæus;* qui irâ graviter commotus, quò hoſtem acrem, cui præeſt corpori, eo fuget, concitatiſſimos eos efficit motus, qui febres conſtituunt. Hic verò *Archæus*; qui cum *anima mundi*, cui, Helmontio nondum florente, fidem ponebant medici, et *vi* quidem *plaſticâ* antiquitùs philoſophorum, re concinere videtur, nomine tantummodo diſcrepare; a-

deo profectò parum cognitus eſt, ut ejus Numen, ſi ei quidem Numen ſit, res medicinales obſcuret potius, quàm illuſtret.

Willisius celeberrimus opinatus eſt, febrem eſſe particulas tantummodo ſanguinis ſpiritales, oleoſas, et ſulphureas fermenteſcentes; et, ut mole turgeſcant ſanguis aliique corporis humores, efficientes.

Graafius et Sylvius cenſent, auctam quantitatem et acorem ſucci *pancreatici*, ductibus hujus ſimul obſtructis, eſſe cauſam proximam febris.

Clariſſimus Stahlius putat, "Motos hos "extraordinarios febriles a principio quodam "*intentionali* et dirigente, motu et ſenſu in-"ſito prædito, ſuſcitari *."

Boerhaavius opinatus eſt, cordis renixum ſolito celeriorem, extremis ſimul arteriis, quò minùs in ipſas propellatur ſanguis, obſtantibus, proximam febris eſſe cauſam †.

Si

* Stahl. *de Febribus bilioſis*, tom. v.

† Boerhaav. *Aph.* 581.

Si omnia, quæ his opinionibus contrà dicerentur, enumerarem, hæc profectò diſputatio in volumen haud modicum priùs increſceret, quàm rem ad umbilicum perducerem.

Etiamſi ex auctoribus quos memoratos habui, nonnulli, quid poſſit valeatque nervorum genus, obſcurè noviſſe videantur; tamen nemo, quo modo valeat, ratiocinando lucidè exponere aggreſſus eſt.

Haud multò pòſt, quàm ſanguinem in circuitum fluere, exploratè cognitum eſt, gloria cordis eatenus ampliſſima, aliquantùm obſcurata eſt; dum cerebrum et nervi, quæ antea jacebant neglecta, paulatim inclaruerunt. Sed, etiamſi pòſt paulò has partes eſſe fontem vitæ et motûs comperti ſint medici, tamen leges, quibus pareant, prorſus ignorabant; et explicare, quo agant modo, vana et inania fingendo conabantur.

Borellius, Italicus, cerebro et nervis malè ſe habentibus proximam febris cauſam attribuere primus, ut videtur, auſus eſt. Hanc

ponit

ponit is auctor in fluido nervorum proprio, præter naturam acri facto. De hac verò opinione opus eſt tantummodo obſervare, nos, utrùm tale fluidum, quale prænoverit BORELLIUS, nervis competat, necne, parum etiamnum ſcire; et, an in vivo homine fluida quidem, quæ exiſtere inter omnes convenit, adeo, ut prænotione quadam et vaga conjecturâ putant nonnulli, acria fiant, nondum ſatis conſtare.

Alia opinio vero utique ſimilior, ſed quæ multò minùs invaluit, a COLIO, medico VIGORNIENSI, ſub finem ſeculi proximi, prolata eſt: qui, proximam cauſam febrium intermittentium eſſe cerebri nervorumque originis laxitatem et debilitatem, contendit.

HOFFMANNUS egregius proximus auctor eſt, qui nervorum habitudini proximam febrium cauſam attribuit. Hæc, ut putavit ille, eſt nervorum generis affectio ſpaſtica.

His dictis, nunc tantùm reſtat, ut de opinionibus, quæ in præſentia invalent, pauca dicam.

cam. Ex his præcipua eſt ea Culleni, et omnibus fere nota; qui, etiamſi opiniones aliorum ſcriptorum argumentis ſatis validis infirmaverit, fortaſſe tamen propriam propoſuit, nihilo validiùs, ut opinantur plurimi, firmatam, quàm quas ipſe labefactavit. Hic auctor cauſam febrium proximam eſſe ſpaſmum extremarum arteriarum, quem partim efficiunt cauſæ febrium concitatrices, partim *vis naturæ medicatrix* *, contendit. De hoc autem bimatri quaſi ſpaſmo diſceptare, mihi non in animo eſt. Tempus enim deeſt: et inſuper timeo, ne, ſi cum Culleno manum conſeram, exclamet infeſtus aliquis: quid ſibi vult audax et inexercitatus juvenis? quàm

"——— *impar congreſſus* Achilli!"

Virg. *Æneid.* I. lin. 479.

Joannes Bruno, medicus Edinburgenus, debilitatem ſolam eſſe cauſam febrium, contendit.

* Vid. Cullen's *Firſt Lines*, vol. i. c. 2.

tendit. "Incitatio," ait hic auctor, "poteſta-
"tum incitantium operis et effectus idonea
"proſperam, nimia aut deficiens adverſam
"valetudinem, et, ante hanc, opportunitatem
"facit. Nulla alia corporis humani vivi ritè
"ſecuſve valentis conditio, morborum alia
"origo."

Denique, Joannes Hunterus, vir apprimè ingenioſus, cenſet, unoquoque morbo ſpecialem corporis actionem effici, et revera morbum nihil eſſe aliud, niſi talem actionem. Sed, etiamſi confitendum ſit, multis in morbis, quibus afficitur humanum corpus, hujuſmodi profectò actionem, prout hæc pars laboret illave, concitari; tamen nihilo inde clariùs, quid qualeve ſit cauſa proxima morborum, explicari poteſt, donec, definitis verbis, priùs exponat hic auctor aliuſve quivis, quam vim habeat actio ſpecialis.

His opinionibus numero quidem pluribus recenſitis, quæ diverſis temporibus, auctoribus diverſis, prolatæ ſunt, quarum verò nulla rem,

de

de qua hìc diſſeritur, clariorem reddidit; de re tam abdita plura dicendo tempus terere non minùs profectò infructuoſum eſſet, quàm, philoſophorum olim inſtar, viam, qua viâ omnia in aurum convertantur, ætherave omnia pervadentem, vel perpetuum mobile quærere.

Adeo recondita eſt cauſa proxima febrium, ut, quid ſit, explanare fortaſſe nunquam potuerimus; quippe cùm, quorum intermediorum ope ad ejus cognitionem perveniatur, neſciamus, et, quibus legibus obtemperet nervorum genus, etiamnum ferè prorſus ignoremus.

His de opinionibus præclarorum quorundam auctorum dictis, veriſimillimum nobis videtur, cauſas excitantes organa, quæ functionibus, imprimis vitalibus, inſerviunt, mirum in modum debilitare; et debilitatem inde effectam, proximam febrium intermittentium cauſam habendam eſſe. Eodem verò tempore intelligendum eſt, conditionem quandam corporis ipſius eſſe ſeu habitudinem ſpecialem, qualem autem verbis luculentè exprimere nequimus,

quimus, quæ cum debilitate, ad ſigna quæ febrem conſtituunt efficiendum, conſpiret.

Rem ita ſeſe habere, rectà equidem probare non poſſumus; quippe cùm febres inter-intermittentes ex ſolis paludum exhalàtionibus oriantur.

Quæ autem hanc opinionem veriſimilem reddunt, ea numero complura ſunt. In primis, regione eadem, rarior eſt hæc febris frequentiorve, prout incolæ plùs minùſve robuſti ſint. Firmi enim et validi eam plerumque effugiunt, dum debiles et infirmi corripiuntur; atque ex iis, qui implicantur, ii maximo verſantur periculo, quibus ſunt infirmiſſima corpora, quique cauſis maximopere debilitantibus objectati ſunt. Præterea, cauſæ, cur redeant febres intermittentes, eæ ſunt, quæ corpus debilitant. Quinetiam, hujuſmodi febres iis curantur medicamentis, quæ corpus roborant, irritabilitatemque hebetant, opio nempe, *Cinchonæ* cortice, aliiſque conſimilibus.

Hæc opinio nobis eo magis arridet, quòd longè optimam

RATIO-

RATIONEM MEDENDI

ſuggerit ; de qua perpauca nunc dicenda ſunt. Qua ratione curentur febres intermittentes, ea triplex eſt ; reſpicit enim,

Primùm, ad ea, quæ, per intermiſſiones, adhibenda ſunt, medicamenta ;

Dein, ad ea, quæ, inter acceſſiones ; et,

Demum, ad ea tollenda impedimenta, quæ obſtent, ne medicamenta efficaciſſima adhibeantur, aut adhibita proficiant.

Quod ad *intermiſſiones* attinet, aliquantò ante expectatam acceſſionem, et quidem donec præteriverit tempus quod hæc occupare ſolebat, efficiendum eſt medicamentis, ex iis quæ incitant et roborant, ut cor et arteriæ validiùs micent ; ne, his languentibus, ideoque ſanguine exteriora verſus non ſatis enixè propulſo, vaſcula extrema collabantur, et acceſſio, oblata occaſione, redeat.

Medicamenta, quæ *incitant* cor et arterias, in ventriculum aſſumenda ſunt, aut externo corpori admovenda, uſquequo ſudorem elicuerint, vel, ſudore nondum elicito, hæc vaſa in renixum ſatis validum civerint. In eundem finem ſuadet Cullenus nauſeam horâ circiter antè movere, quàm acceſſio expectatur. Quibus medicamentis hæc fiant, nominatim recenſere propterea non opus eſt, quòd omnibus medicinâ tantulùm imbutis nota ſunt.

Quæ *roborant* medicamenta, ea profectò in varias ſpecies, *aſtringentia*, nominatim, *amara*, *aromatica*, *arſenicum*, et *opium*, diſpoſita ſunt. De his verò diſtributè diſſerere, minimè nobis in animo eſt; cùm præſertim jam ſatis ſuperque longi fuerimus. Re ita ſemet habente, de *cinchonæ* cortice tantùm et opio perpauca dicemus.

E remediis, quæ modò ſpeciatim memoravi, *cinchonæ* cortex, ut oſtendit diutina, et quaſi inveterata quidem, medicorum experientia, longè princeps eſt.

Hic

Hic cortex, per totum intermittentium curſum, idoneis temporibus, tutò et utiliter aſſumatur; dummodo in febriente inſit neque ad inflammationem proclivitas, neque obſtructa viſcera. Utiliſſimè autem adhibetur per intermiſſiones, et, ut putant plurimi medici, quo propius acceſſionem, eo utique meliùs. Verùm enimverò unam tantummodo acceſſionem hoc medicamento arcuiſſe, minimè ſufficit ad febrem prorſus ſolvendam. Cùm enim hæc, niſi ei aliquandiu obſiſtatur, impetum haud rarò redintegret; obſtinatè, in aliquod, poſt primam acceſſionem fugatam, tempus in uſu corticis, interjectis temporibus, perſeverandum eſt.

Ipſe cortex, in pulviſculum redactus, ſi ventriculo conveniat, variis inde præparatis plerumque antefertur. Sin, ut interdum accidit, ventriculo ſit alienus, tum aqua frigida ex eo, quippe cùm aliis præparatis plùs valeat, admiſtis ſimul hac aromaticis quibuſdam, quò

palato

palato gratior ſit, interpoſitis intervallis, idonea quantitate bibenda eſt.

Quod ad doſin ejus attinet, ratio ventriculi habenda eſt. Si febrientem ægritudine non afficiat, quo plus adhibetur, eo plerumque meliùs. Sin ex uberiore ejus copia malè ſe habeat ventriculus, fructuoſior multò erit temperatior uſus.

Locum *cinchonæ* cortici ſecundum obtinet opium. Ad hoc medicamentum, ſeu liquidum ſeu ſolidum, optimè decurritur paulò ante tempus, quo acceſſio expectatur. Ab eo autem abſtineatur, ſi æger ſit corporis habitudine ad inflammationem proclivi, vel obſtructis laboret viſceribus.

His de medicamentis, ad quæ, per intermiſſiones, confugiendum eſt, breviter dictis, proximum eſt; ut, quid inter acceſſiones faciendum ſit, quàm pauciſſimis dicamus.

Acceſſione præſente, morbum quibus poſſit modis, ex toto, diſcutere et diſrumpere, medico aggrediendum eſt. Hoc efficiendum vel medica-

medicamentis, ex iis quæ vomitionem concitant, per horrorem aut ineuntem calorem, adhibitis; vel opio ſeu præparatis ex eo datis per calorem.

Impedimenta, a quibus obſtetur, quò minùs adhibeantur et proficiant medicamenta jam dicta; ſunt ad inflammationem proclivitas, et obſtructa viſcera. Illa, quoties adſit, ſanguine elicito et regimine inflammationi obvio minuenda eſt. Hæc curanda ſunt medicamentis, ex iis quæ vomitum et alvum ciunt. Quod ſi, id quod interdum accidat, induruerit jecur, præſcribenda ſunt, inſuper, medicamenta, ex iis quæ duritias emolliunt. Ex hujuſmodi medicamentis hydrargyrum, ſive devorentur catapotia quibus inſit *muriatum mite*, ſive extremo corpori infricetur *unguentum fortius cæruleum*, longè profectò efficaciſſimum eſt, ad quod confugi poteſt.

F I N I S.